

Bibliothèque numérique

medic@

**Deleurye, François-Ange - candidat /
Le Laumier, Etienne-Pierre -
président. - [De utero inverso]**

1758.

***Paris : Typis Viduae Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae***

Cote : ms 2342, n°66bis



D. O. M.
T H E S E S

ANATOMICO-CHIRURGICÆ



VARIOS inter Mulierum Morbos inversio Uterina non minorem locum obtinet, ratione periculi subsequenti; nihil proinde omittere debet Chirurgus, ut ipsius curationem ritè suscipiat,

SUBSTANTIA Uteri est membranacea, muscularis, spongiosa, & vascularis. Cavitate triangulari donatur. Situm habet in parte inferiore pelvis. Dimensiones ipsius per graviditatem mutantur.

SUSTINETUR moles Uterina ope ligamentorum, quorum duo lata, duo sunt teretia.

A



A lateribus Uteri reperiuntur tubæ Fallopiæ & ovaria.

VASA Uteri sunt sanguinea, lymphatica, lactea aliquando; Nervi etiam per totam, ipsius substantiam distribuuntur.

SUNT aliæ partes, quæ cum Utero immediatè, vel mediatè annectuntur, & indigent, vel non indigent scalpello ut detegantur; unde illarum in internas & externas divisio.

STATUS in quo pars superior, aut lateralis Uteri ingreditur partem inferiorem, partim vel omninò, dicitur inversio. Exquâ definitione fuit divisio in directam & lateralem, incompletam & completam. Inversio directâ frequentior est laterali; quæ vix nisi à polypo, vel excrescentiâ quâcumque oriri potest, & numquam completa habetur. Incompleta plurimos gradus obtinere potest.

CAUSÆ inversionis sunt vel externæ, vel internæ. Signa inversionis sunt diagnostica, vel prognostica.

DIAGNOSTICA variantur pro variâ specie. Prognostica desumi possunt à causâ specie antiquitate vel recentia & accidentibus;

ACCIDENTIA inversionis sunt dolores circà lumbos & coxas; hæmorrhagia, inflammatio, febris, durities, gangræna, syncopes, convulsiones, sudores frigidi, delirium.

AFFECTIONES quædam licet ab utero absolutè diversæ, tamen pro eadem inconsideratè sumptæ fuerunt, scilicet excrescentiæ, prolapsus uterinus, & majoris ductûs relaxatio. Herni per eundem ductum possent tyronibus dubium inferre, sed signa propria perpendant & dubium fugabitur.

CURATIO inversionis Uterinæ repositione & contentione adimpletur. Contentio fitûs, & aliquando pessarii ope suscipienda. Reductione factâ, fetus anodini, emollientes, abdomini sunt admoventi, si adsit quoddam irritationis signum, & fetus adstringentes, si debilitatis & inertiae signum superfit.

POLYPI aut excrescentiæ cujuscumque inversionem producentis ligatura celebranda.

IN inveteratâ & nullis accidentibus letiferis stipatâ inversione: quæ volumen, crassitiem que uteri ita auxit ut in pristinam sedem absque periculo refundi nequeat, moles propendens suspensorii ope sustinenda, & ab urinarum actione protegenda.

Si tensio & inflammatio reductioni obstat, jam sanguinis missio, enemata emollientia, fatus ejusdem generis adhibeantur. Si tamen reductio non succedat, sed ingurgitatio augescat, tunc fatus emollientes & resolventes, aut cataplasmata ejusdem dotis, substituantur. Strangulatione perseverante & aucto volumine molis propendentis, scarificationes proponit Heisterus, illas tamen non ab omni periculo vacare probat Ruyschii observatio vigesima sexta.

Quo in casu sequeretur gangræna, citius abhibenda venirent antiseptica; nec adhuc à reductione abstinendum est, dummodò sit levis admodum gangræna. Si reductio obtineatur, injectiones antisepticas, deinde deterfivas adhibere juvat.

Posito quod inversio completa uteri non reducitur, sed gangræna crassitiem ipsius occupat, & eò pervenit ut timendum præbeat, ne in partes internas brevi serpat, nullaue partis corruptæ à sanâ separationis spes affulgeat; nunc debitâ prognosi de tanto & tam periculoso affectu letâ, apparatu disposito, ad amputationem absque morâ sese accingere. Situs ægrotanti conciliari debet idoneus, ligatura in partem sanam quantum fieri poterit injicienda, amputatio ligaturam & inter partem corruptam perficienda. Vulnus secundum artem deligandum.

Quas, DEO JUVANTE, & Præsidente M. STEPHANO-PETRO
LE LAUMIER, Artium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur
FRANCISCUS-ANGELUS DELEURYE, in Alimâ Universitate Parisiensi, Artium Liberalium Magister.

PARISIIS;

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

Die Sabbati trigesimâ Decembris, anno salutis 1758, à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA.

Typis Viduæ DELAGUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg.
Typographi, viâ San-Jacobæâ, sub signo Olivæ.

